



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum II. Novum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

# TITULUS XXX.

## DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

### CAPITULUM II.

#### Novum.

##### PARAPHRASIS.

Exactionis hoc novum genus est, si Clerici à Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini reperitur, quod Levitæ à Levitis decimas acceperint. Veruntamen Clerici, quibus alij Clerici spiritualium ministeriorum labores impendunt, hisipsis decimas merito persolvunt.

##### PARAPHRASIS.

*Quomodo Clerici ad decimas dandas obligentur.*

**N**Otandum. Clerici, qui decimas, aliosve fructus ex titulis Ecclesiasticis accipiunt, ex ijs sibi invicem decimas non dant. At verò ex alijs proventibus suis Clerici pastoribus, à quibus spiritualia accipiunt, decimas dare coguntur. Ita explicat *Suarez lib. 1. de decimis c. 17.*

Verum hujus cap. vix aliquis hodie locus est, quia personales decimæ hodie non sunt in consuetudine; at verò in decimis realibus, spectato communi jure, attendi debet ad parochiam, intra cujus fines prædium situm *c. quoniam 13, hoc tit. Vide, quæ dixi lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 3. & c. 3. n. 2.*

### CAPITVLVM III.

#### Ex multiplici.

##### PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conventum ex una parte, & parochum nomine Ecclesiæ suæ ex altera parte transactio facta fuit, instrumento authentico monachorum roborata, quòd monachi parochi, & Ecclesiæ

Y y 3 ejus

**I**nter jura parochialia non minimum locum tenet jus decimarum, primitiarum, & oblationum; idè postquam de parochijs, & quibusdam ejus juribus actum est, peculiariter jam titulo de decimis &c. subjungitur.

### CAPITULUM I.

#### Decimam.

##### PARAPHRASIS.

Populus Israeliticus partem decimam frugum ex Legis præcepto Leviticæ Tribui solvebat; & rursum Levitæ ex ipsis decimis partem decimam Sacerdotibus *lib. 2. Esdra c. 10. v. 37 Deuter 18. v. 23.* Erant & aliæ decimæ fructuum, quas quisque è populo in hortis separabat, ut cum in templum Jerusalem iret, eas comederet in vestibulo templi cum Sacerdotibus, & Levitis *Deuter 12. v. 11. & 14. capite v. 22.* Sed & aliæ decimæ erant, quas pauperibus recondere solebant *Deuter. 26. v. 12.* At verò primitiæ, quas de frugibus offerebant Hebræi, non erant in quantitate definitæ, sed offerentium arbitrio relicta: erat tamen traditio Hebræorum à Magistris introducta, quòd, qui plurimum dare vellent, quadragesimam partem; qui minimum, sexagesimam darent, adeoque inter quadragesimam, & sexagesimam offerre liceret, quòd cuique liberet; & ita, quòd in Pentateucho decretum non erat, id Magistri Hebræorum definièrunt, propter Sacerdotum avaritiam, ne supra modum exigerent, ut colligitur *ex c. 45. Eszechielis v. 11.*